

## Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

# VVALACHIA, SERVIA, BVLGARIA, ROMANIA.

**P**arent nunc ista regna Turcarum Imperatori, qui sedem Imperialem habet Constantinopoli, & precipuum ibi palatium Serresedictum, de cuius regimine & gubernatione aulicis officiis non est nostri instituti scribere, luculenter ea tractarunt. Ioannes Antonius Menauinus Genuensis, & Antonius Gensfres. De Imperatoris autem potentia & regnorum administratione breuiter dicam. Ducenti circiter sunt, quibus Turca mandauit singulis quadriennijs per Graciam, VValachiam, Bosniam, & Anatoliam, reliquasq; ditiones suas colligere Christianorum pueros masculos ex singulis familijs, tanquam decimas sibi debitas, quos Constantinopolim, Perant & Andrinopolim adducunt, & ciuibus educandos tradunt, at minus elegantes in Bursa & Caramania agricolis commendant. Hi omnes Azamoglan aut Iamoglan vocantur, id est, innocentes & simplices infantes, nihilq; scientes, & cum ad 8. annum peruenerint, elegantiores & dociliores in Saray, hoc est, palatium precipuum Imperatoris Constantinopoli collocantur usq; ad quingentos, ibiq; in literis & armis instituuntur, donec 20. annum compleuerint. Ex his eliguntur prater aula ministros & officiales Ianizari pedites, quos ad 12. millia in sui perpetuam custodiam habet Imperator. Ex Ianizarijs spectabiliores electi Spachoglani ad 3000. dexteram Principis claudunt, singuli 4. aut 5. equis seruientes. Ex iisdem Silichtar ad 3000 similiter 4. aut 5. equis seruientes sinistrum Principis latus tuentur.

Post hos duos ordines Spachoglan & Silichtar equitant Ulofagi 5000. ad dexteram Imperatoris & 5000. ad sinistram, qui omnes ex Ianizarijs, aut ex abiuratis Christianis, qui fideliter Beglerbeio aut Bassa seruierunt, eliguntur.

Post hos ultimi sequuntur equites Charipici, id est, pauperes, qui ex omnibus prouincijs Turcici Imperij & diuersis nationibus, Christianis, Persis, Mauris, Syris, Arabibus, Barbarijs & Tartarijs sponte ad Imperatoris seruitium stipendij causa confluunt, ex quibus, teste Antonio Gensfres 2000. selectiores Imperatori seruiunt.

Item ante Imperatorem 200. Mutasferacha lanceam gestantes equitant, qui ex seruis ob facinus aliquod egregium sunt manumissi, & in nobiles aula electi. Item (post hos opinor) 30. Chausiler, hoc est, Caduceatores ante Principem equitant, qui accursum populi prohibent, & viam Principi aperiuunt, supplicationes quoque ipsi tradendas recipiunt.

Post hos proxime pedites Solachi, qui arcum inauratum cum sagittis portantes 200. Imperatorem precedunt, 200. sequuntur, & ex viroque latere 30. comitantur.

Iuxta hos proxime equum Principis incedunt sine tibialibus & calceis 100. Peicler, id est Cursores, quos huc illuc in pace ac bello mittat.

Hac perpetua est Imperatoris custodia, tempore belli vero habet etiam Asaples, qui sunt, pedites extraordinary, & Caripoglan, qui sunt, equites extraordinary. Per ditiones autem & prouincias suas in illarum defensionem alia habet presidia. In limitaneis ditionum Christianarum sunt supra 10000. Ianizarorum, intra prouincias autem Turcicas 6000. Ianizarorum sparsim commorantur, nulli Beglerbeio aut Bassa subiecti, sed immediatè Imperatori, & liberi ab omni contributione. Est item per prouincias alia inuentus dispersa ad 10000. ex qua suppleri possunt, qui in limitaneis ac prouincialibus ordinibus defecerint.

Reliquæ omnes copie militares prater dictas subsunt Beglerbeis, qui sunt rectores prouinciarum, quales habet 7. Gracia, Anatolia, Caramania, Amasia & Cappadocia, Anacidula, Mesopotamia, Aegypti, de quibus suo loco dicemus.

Habet etiam Imperator 3. aut 4. ad summum Consiliarios, quos vocant Visirbachas, aut simpliciter Bassas, quod principes sint consiliorum, quibus Imperator in rebus omnibus granioribus pace & bello utitur, & est hic summus gradus officiorum, ita ut Beglerbeios maiore dignitate volens honorare, Bassas faciat.

Theodorus Sanduginus lib. de moribus Turc. colligit annuos redditus Turcæ esse vasa auri 68. & 58. milia ducatorum. Vas autem auri continet milia ducatorum centum.

## Ecclesiastica administratio ex Prouinciali Romano.

Archiepiscopus Constantinopolitanus hos habet Suffraganeos, Colubriensem nunc forte Chiorlich, Naturenses 56.0 : 43. 0. Spigacensem 55. 0 : 42. 0. Dorkensem, Panadensem forte nunc Pandia 55. 0 : 42. 40. & Calcedonensem, ubi nunc Scutari & regione Constantinopolis.

Arch. Heraclia 54.20 : 42. 40. Huic subsunt, Rodesco 54 30 : 42 45. Peristaciensis, Gallipolis 54 30 : 42. 16. Darnensis, forte Dardanello 54 22 : 41 50. Curlotensis, Archadopolis, forte nunc Arco 54 48 : 42 8. Missenensis.

Arch. Patracensis cui subsunt Lampfacenus & Dinensis de Sellana.

Arch. Squisicensis ultra brachium S. Georgij (quod ex mari de Marmora in Aegæum fluens Europam ab Asia diuidit) Sequino forte 56 32 : 42 0. Huic subsunt Troianus, Andrunianus, Iacorensis, Decandimonia, Lupadiensis, Epigoniensis, Libariensis.

Arch. Verisensis, cui subsunt, Rossianensis, Aprensis 54. 8 : 42. 44. Ripsalensis, Cypsela opinor 53 51 : 42 48.

Arch. Madricensis, Mariza opinor 53.30 : 42 28.

Arch. Andrinopolitanus 53. 4 : 43. 25.

Arch. Traianopolis 53 16 : 42 44. cui subest Auiensis.

Arch. Maiziacensis sub quo Maronia 53 0 : 42 16.

Arch. Messipolis, cui subest Xanociensis.

Arch. Philippensis 50. 52 : 42. 4. cui subsunt, Christopolis 51. 44. 42. 0. Dragonensis, Chrisopolitanus.

Medius meridianus 50.20. reliqui ad eum sunt inclinati iuxta rationem parallelorum 42.40. & 46.0. ad circulum maximum.